

etiam sit cognoscibilis creatura, ut contenta in Deo, cum Deus sit principium ejus, et causa a qua omnis perfectio creaturæ derivatur et in se continet omnem perfectionem creatam. Solum ergo restat comparare, quæ sit perfectior cognitio creaturæ, an ut contenta in Deo, an ut fundat extra Deum cognoscibilitatem propriam et creatam; cum ergo probatum sit perfectiorem esse cognitionem, quæ fit per aliud et perfectius medium et medium divinum sit infinite perfectius in ratione cognoscibilis, quam creatum consequenter constituit cognitionem perfectiorem.

Idem etiam deducitur ex eo quod Deus non potest cognoscere creaturam, nisi ut objectum secundarium, quia primo et per se intellectus divinus debet respicere objectum divinum: atque adeo hoc debet esse primum: non potest autem concipi quod aliquid attingatur ut secundarium et tamen attingatur ut immediatum, sunt enim termini repugnantes secundarium quod est posterius, et supponens primum, et ly immediatum ante quod non est aliud prius quod mediet. Denique, ipsa divina essentia non potest esse repræsentativa immediate per modum speciei adæquatæ et proportionatæ ipsius creaturæ, quia repugnat Deo habere intelligibilitatem, qua non sit eminentior omni alio extra se, et omni creato, ergo etiam repræsentationem, quia hæc fundatur in intelligibilitate: si autem est eminentior omni creatura non potest immediate ei proportionari et adæquari: ergo habet aliquid prius et immediatius qui proportionetur et quod eminentius sit creatura, nempe essentia divina, mediate autem creaturam repræsentabit, tamquam aliquid Dei seu ex Deo. Unde S. Thomas I contra gentes, capite LXXI affirmat quod Deus nihil extra se

cognoscit per speciem, quæ non sit ipse, et cujus ipse sit primum intellectum.

XI. Unde solvitur ratio dubitandi opposita, quæ ad hoc reducit, quia creaturæ possibiles sunt in se ipsis cognoscibiles independenter ab alio et ratione sui, si quidem habent aliquam veritatem determinatam, sive absolutam, sive conditionatam, et hoc absque aliqua imperfectione, quia non est necesse ponere aliquem influxum creaturæ in Deum, sed solum extrinsece manent terminantes divinam cognitionem, ergo nullam imperfectionem importat cognitio ista creaturarum in se ipsis. Sed respondetur admittendo creaturas fundare ex se cognoscibilitatem perfectam in suo genere, et proportionate ad intellectum creatum, quem potest specificare et immediate ei proportionari, non tamen immediate ad intellectum divinum, quod esse non potest, imo nec erit summe perfecta, seu perfectissima, quæ potest haberi etiam de ipsis creaturis, cum perfectius cognosci possint per continentiam in Deo, mediante quo perfectius possunt comprehendere, quam secundum se ipsas, quia ut optime dicit D. Thomas quæstione VIII de veritate, articulo IV ad primum, licet Angelus sciat omnes proprietates naturales, quæ comprehensione essentiæ cognoscuntur, non tamen scit eam secundum omnes rationes, quibus substat ordini divinæ providentiæ, qua una res ordinatur ad varios eventus. Sic ergo comprehensio creaturæ tam quoad potentiam naturalem, quam obedientialem multo perfectius et excellentius fit per ipsam divinam essentiam, quæ est medium et ratio formalis eminentior et perfectior quacumque cognoscibilitate creata. Et sic cognoscibilitas creata rei possibilis est perfecta ut sit secundarium objectum et mediatum divinæ

cognitionis, non ut immediatum et a quo formaliter sumatur summa et perfectissima cognitio divina, ut dictum est.

XII. Quod vero aliqui obijciunt, Deum scientia visionis videre creaturas in se ipsis quin prius feratur in essentiam suam, absque ulla dependentia et connexionem cum ipsis, respondetur quod etiam in illa fertur, mediante essentia sua, ut determinata tamen per decretum liberum, hoc enim est medium cognoscendi creaturas illas.

ATTRIBUTUM QUO MEDIANTE DEUS VIDET CREATURAS POSSIBILES.

XIII. Medium cognoscendi, ut sæpe diximus ex D. Thoma est duplex, aliud quo, id est, species repræsentativa, aliud in quo seu per quod, scilicet in quo continetur vel a quo causatur, sive se habeat per modum imaginis, aut signi vel etiam per modum conditionis aut connotati, cum quo habeat connexionem aliquam id quod cognoscitur, licet hoc ultimum proprie loquendo non sit medium, sed concomitantia aliqua inter unum et aliud, quæ quia habent inter se connexionem, cognito uno cognoscitur aliud, sicut se habent relativa quæ sunt simul cognitione, id est, concomitantem cognoscibilia non unum ex alio, sic enim non simul, sed prius et post cognoscerentur.

XIV. Igitur qui censent creaturas non videri in Deo, tamquam in medio prius cognito per modum causæ vel principii continentis creaturas propter omnimodam et absolutissimam independentiam Dei ab omni relatione transcendentali ad creaturas, concedunt communiter Deum videre creaturas in se ipso tamquam in specie repræsentante illas; licet alii putent etiam non indigere Deum specie ad cognoscendas creaturas,

sed suo infinito lumine eas in se attingere, ut disputatione præcedenti, articulo secundo retulimus, fortasse, quia speciem accipiunt non pro eo quod vice objecti concurrat, sed quod ex parte intellectus determinat ad cognoscendum. At vero p. Arrubal, hic disputatione XXXI, cap. II et III volens componere sententiam eorum qui dicunt Deum cognoscere creaturas in sua potentia, tamquam in causa cum ea quæ negat creaturas cognosci in Deo tamquam in causa, sed tamquam in specie repræsentante, dixit Deum cognoscere res creatas in se tamquam in objecto primario et causa, non quia sit medium prius cognitum et decens ad cognitionem creaturæ, hoc enim negat cum Vazquez, sed quia essentia divina non habet rationem speciei repræsentantis creaturas, nisi prout est causa illarum et virtutes continet, non enim objectum aliquod primum potest concurrere ad instar speciei et repræsentare res aliquas, nisi prout eas continet in virtute et tamquam in causa, et sic Deus dicitur cognoscere creaturas in se ut in causa, quatenus ratio causæ præstat illi munus speciei creaturarum. Addit tamen capite quinto Deum non cognoscere creaturas in sua potentia sumpta pro potentia relate se habente ad creaturas, sed pro potentia absolute sumpta. Est autem potentia absolute sumpta ipsa divina substantia, ut radicaliter omnipotens, relate vero sumpta, ipsum attributum omnipotentis ut exuens per modum virtutis. Alii denique affirmant, Deum cognoscere creaturas in se ipso tamquam quædam connotata ab ipso, eo quod Deus comprehendit se ipsum, et comprehensio non solum requirit attingentiam eorum, quæ intrinsece pertinent ad aliquam rem, sed etiam eorum quæ quoquo modo ex-

trinsece pertinent ad eam. Quod non currit respectu beatorum, qui non comprehendunt Deum, sed solum quidditative cognoscunt; cognitio autem quidditatis non requirit attingentiam eorum, quæ extrinseca sunt et extrinsece pertinent ad rem.

XV. Nos autem duo dicimus. Primum est, quod opposita sententia negans Deum cognoscere illas creaturas in se tamquam in causa et medio prius cognito, et tamquam in specie solum mediate repræsentante creaturas, scilicet ut contentas, aut participatas ab essentia, non evitat inconveniens quod intendit, nec sufficienter explicat modum communem loquendi patrum, quod Deus in se ut in causa cognoscat creaturas. Secundum est, quod Deus cognoscit creaturas ut possibles non solum in attributo omnipotentia, ut condistincto ab intellectu et providentia, etc. sed etiam in essentia sua et bonitate ut participabili a creaturis, et in rationibus aliis quibus ex parte intellectus et voluntatis directivus est et artefactivus creaturarum.

XVI. Primum dictum late probatum est a nobis disputatione præcedenti, art. II, et disput. XV, art. III. Solum addimus, nullo modo hanc sententiam explicare quomodo Deus cognoscat in se vel in aliquo attributo creaturas ut in causa, sicut ex Dionysio et D. Thoma et aliis supra probavimus, et docet Concilium Valentinum sub Loth. capite II, dum dicit: «Deus novit omnia antequam fiant et sua omnipotentia, et incommutabili majestate.» Etenim potentia divina secundum istam sententiam, ita absoluta est, quod eadem omnino stare potest sive res creatæ sint possibles, sive impossibiles, ergo de se indifferens est sive ad cognoscendam possibilitatem sive impossibilitatem creaturarum, si

quidem æque bene cum ipsa potentia stat possibilitas vel impossibilitas creaturæ, propter indifferentiam et independentiam potentia ab illis: ergo ex vi potentia et virtutis causandi non potest Deus cognoscere, quid sit determinate possibile vel impossibile tali causæ, quod est cognoscere ipsam imperfectissime in ratione causæ, si quidem non cognoscit ex vi ipsius quod et quantum sit possibile determinate tali causæ, supposito quod totum quod est in tali causa est indifferens, ut sit aliquid ei possibile vel impossibile. Ad quod ergo principium debet Deus respicere, ut cognoscat determinate quid sit impossibile vel impossibile?

XVII. Solum est duplex responsio: vel quod Deus intelligit possibilitatem creaturarum immediate in se ipsis, quia ex se habent hanc veritatem quod sint possibles, et Deus omnem veritatem, attingit sua infinita cognitione: vel secundo, quod in comprehensione suæ essentia cognoscit possibilitatem hanc determinate, quia comprehensio extenditur etiam ad ea quæ extrinsecus pertinent ad rem quæ comprehenditur, licet illi connexa non sint. Sed utraque solutio est valde in sufficiens. Prima quidem, quia illa possibilitas creaturæ non potest intelligi nisi ut participata a Deo. Et reddit tunc difficultas, quomodo determinate participetur a Deo, si de se indifferens est ad possibilitatem et impossibilitatem illius. Neque determinari ad id potest per voluntatem liberam, quia circa possibilitatem creaturæ non versatur decretum libertatis et voluntatis Dei. Reddit etiam difficultas, per quam speciem Deus cognoscat illam determinatam possibilitatem creaturæ in se ipsa, non enim potest per speciem creatam, ut manifestum est: species autem increata æque indifferens esse debet ad possibilitatem vel impossibilitatem sicut

et ipsa potentia Dei. Unde ergo sit determinatio ad possibilitatem magis quam ad impossibilitatem?

XVIII. Secunda vero solutio ex eo deficit, quia divina comprehensio non attingit ea quæ extrinseca sunt, nisi videndo illa in aliquo medio sive repræsentativo, et per modum speciei, sive objectivo et prius cognito, nisi velimus incidere in illud inconveniens toties repetitum et ab omni philosophia rejectum, quod res aliqua intelligatur sine specie vel concursu objecti, ergo non obstante comprehensione remanet eadem difficultas, quomodo creaturæ attingantur et per quod medium. Nec enim comprehensio tollit naturam intellectus et intellectionis quæ ex objecto potentia nasci debet, et ipsum objectum sic attingi. Plura contra hoc videri possunt supra disputatione XV, articulo IV, ubi hoc ipsum impugnavimus.

XIX. Ex quo etiam manet impugnatus ille modus dicendi p. Arrubal, et communiter impugnatur etiam a suis, eo quod omnipotentia Dei non reddit creaturas intelligibiles per modum speciei, et in esse intelligibili, sed per modum causæ efficientis, ut in se sint, et existant non ut a ratione formali per quam reddantur Deo intelligibiles vel repræsentatæ. Prius autem supponuntur repræsentatæ in intellectu divino et in ideis, quam ab omnipotentia respiciantur efficienter, quia omnipotentia subjicitur intellectui ut directa ab ipso, executio enim subjicitur directioni. Quod si recurratur ad omnipotentiam radicalem, ut videtur recurrere Arrubal, quæ non est aliud, quam ipsa essentia divina, hæc non constituit creaturas ut repræsentatas in esse intelligibili ratione radicalis efficientia, quia illas respicit ut effectibiles, sed ratione primæ intelligibilitatis et veritatis. Cujus intelligibilitas cum sit infini-

ta, potest reddere creaturas intelligibiles in altiori medio, scilicet prout in tali essentia eminenter continentur. Et ad hoc requiritur quidem, quod divina essentia radicaliter sit potens creare et producere creaturas, ut eas contineat eminenter, non tamen ratione hujus potentia ut productiva radicaliter, sed ut summe intelligibilis, et ut prima veritas reddatur repræsentativa creaturarum repræsentatione illa eminenti et increata. Quare ad essentiam quatenus intelligibilis recurrendum est pro ratione formali intelligendi, non ad essentiam quatenus radicaliter productiva. Nec obstat quod sine omnipotentia res non dicantur possibles, neque entia, ergo neque intelligibilia, et sic per omnipotentiam habent intelligibilitatem. Respondetur enim quod habent intelligibilitatem participatam, et creatam ab omnipotentia formali vel radicali in genere efficientis, non tamen habent intelligibilitatem in cognitione divina; et in essentia divina ab omnipotentia formaliter et ut a ratione formali, sed ab intelligibilitate et veritate divina, licet quatenus contentæ in essentia divina et mediante ipsa.

XX. Circa secundum dictum, scilicet in quo attributo Deus cognoscat creaturas possibles, difficultas est ex dictis, quia videri non possunt a Deo, nisi quatenus possibles sunt, sed non denominantur possibles ante omnipotentiam, quæ est virtus activa Dei, a qua res dicuntur passive possibles, ergo non possunt ante omnipotentiam, ut possibles videri. Ex alia parte omnipotentia supponit illas cognititas, quia omnipotentia est virtus executiva, ergo supponit directivam, quæ est cognoscitiva eorum, ad quæ dirigenda est executio, ergo prius attinguntur res creatæ ab intellectu, quam ab omnipotentia, et quando attinguntur

guntur ab intellectu, non nisi ut possibiles attinguntur, ergo antecederent ad omnipotentiam videntur ut possibiles. In quo ergo attributo, cum solum per omnipotentiam reddantur possibiles?

XXI. Ad id respondet D. Thomas quæstione II de veritate, art. VIII, in calce corporis, sic de hac difficultate decernens: « Quorumdam quæ nec fuerunt, nec sunt, nec erunt, quæ scilicet nunquam Deus facere disposuit, habet quidem speculativam cognitionem, et quamvis dici possit, quod intueatur ea in sua potentia, quia nihil est quod ipse non possit, tamen accommodatius dicitur, quod intuetur ea in sua bonitate, quæ est finis omnium, quæ ab eo fiunt, secundum scilicet, quod intuetur multos alios modos esse communicationis propriæ bonitatis, quam sit communicata rebus existentibus, quia omnes res creatæ ejus bonitatem æquare non possunt, quantumcumque de ea participare videantur. » Ita D. Thomas, juxta cujus doctrinam dicendum est, Deum in sua perfectione (id nomine bonitatis intelligit s. doctor) cognoscere creaturas, quatenus ab ea omnes participabiles sunt, unaquæque enim creatura dicit modum quemdam participatæ, et limitatæ perfectionis inadæquate se habentem ad divinam perfectionem. Et quia omne id quod participat quoquo modo entitatem, imitatur, et derivatur a primo ente, et a perfectione divina, ideo de omni eo, quod in creatura possibili intelligi potest, habet Deus in se sufficiens principium, per quod illud intelligat respiciendo ad suam perfectionem ut imitabilem, et participabilem a creaturis. Quomodo autem creaturarum perfectiones sint in Deo, an solum intelligibiliter, quia ab eo intelliguntur, an etiam entitative, quia de ejus esse participant, enti-

tative inquam virtualiter sicut effectus in sua universalissima causa, supra tractatum est disputatione quinta.

XXII. Itaque in cognitione creaturarum possibilium sub statu possibilitatis ad plura attributa respicit Deus et secundum diversam formalitatem, qua unumquodque attributum respicit illas, potest intelligi, quod Deus cognoscit creaturas possibiles inadæquate, et prius, vel posterius concepiuntur sub una formalitate, quam sub alia, prioritate rationis nostræ, adæquate vero intelligit illas sub omni respectu, quem habent ad Deum per omnia attributa, quæ circa creaturas possibiles quoquo modo versantur. Nam in primis quantum ad prædicata quidditativa creaturarum possibilium videntur in essentia ipsa divina, seu bonitate, aut perfectione ejus, quatenus unaquæque creatura habet suum gradum, et suam speciem, et essentiam participando, et imitando aliquid de illimitata, et universalissima perfectione Dei, qui est primum ens. Et ipsa essentia divina ut cognita ab intellectu tamquam participabilis ab ista creatura in suo gradu, et specie, et modo, ab alia creatura alio modo, specie, vel gradu constituit ideam, seu exemplar secundum quod intellectus divinus artificialiter potest creaturas operari, ut infra quæstione sequenti, quæst. XV, dicemus. Rursus intellectus divinus, in sua sapientia, et practica vi seu arte respicit creaturas possibiles, non solum quoad prædicata quidditativa, quæ participant ab essentia, sed etiam quoad possibilitatem existentiam, quatenus cognoscit vim directivam ex parte intellectus ad ponendum illa in esse, et in sua omnipotentia videt possibilitatem creaturarum, quoad vim executivam quæ juxta directivam exequitur. Et in sua mi-

sericordia videt possibilitatem creaturæ, ut potens sublevare illam a miseria, et a nihilo, et in sua justitia ut potens dare illis id quod est debitum, vel conforme suæ naturæ, aut ordinationi Dei de illis, et in sua immensitate quatenus potest illis assistere in quocumque spatio illas voluerit ponere. Et sic non in uno tantum attributo, sed in pluribus videt creaturas possibiles secundum diversos respectus ad diversa attributa, ut autem respicit unum attributum tantum, respicit illas inadæquate, solum ut possibiles, quantum est ex vi illius respectus, et formalitatis.

XXIII. Unde ad rationem dubitandi patet solutio. Dicimus enim, quod de omnipotentia possumus loqui dupliciter. Uno modo pro omnipotentia proxima et formali, quatenus est attributum condistinctum ab aliis, et ab essentia, et solum designat ipsam vim pure executivam efficienter ad extra. Alio modo pro omnipotentia, vel radicali, quæ non est aliud quam ipsa divina essentia, quæ est radix attributorum, et etiam hujus attributi, quod est omnipotentia, vel directiva ex parte intellectus per sapientiam et artem, aut inclinativa ex parte voluntatis per justitiam, misericordiam, etc. Sic ergo dicimus quod intellectus divinus cognoscit creaturas in omnipotentia divina tum radicaliter sumpta, id est, in ipsa essentia, quatenus est primum ens, a quo omnia entia creata participantur. Et respectu hujus non procedit argumentum, quia essentia, quæ est radix omnipotentiam non est posterior intellectu seu intellectione divina: tum etiam cognoscit creaturas in omnipotentia formaliter sumpta, prout est attributum condistinctum ab aliis. Et hoc dupliciter tum in potentia ut dirigente, et inclinante ex parte intellectus, et voluntatis, tum ut ef-

fective executiva ad extra, quæ ab ipso intellectu practico non distinguitur, quæ licet posterior, id est, consecuta videatur ad ipsum intellectum, et intellectionem Dei, ut attributum, et proprietas ejus, tamen ut objective attacta, et inclusa in comprehensione ipsius naturæ divinæ non subsequitur, sed comprehensio totum attingit, et consequenter creaturas inde derivabiles, ut sunt aliquid extra Deum objective, non quidem quod attingat illas ut sunt extra Deum, si ly extra dicat modum, rationemque motivam ex parte cognoscentis, sed si dicat terminum objectum, et attactum ex parte rei cognitæ, ut bene Cajetanus explicat in hac quæstione, articulo VI, circa solutionem ad primum.

ARTICULUS III.

Utrum scientia simplicis intelligentiæ sit causa rerum, et proxima regula actus liberi?

Hæc difficultas duo involvit, quæ ex eodem fundamento seu principio discutienda sunt. Primum, an Deus ad eliciendum actum liberum, et decretum efficax quod nomine approbationis intelligimus, utatur scientia simplicis intelligentiæ tamquam regula practica actus liberi, an vero reguletur scientia visionis. Secundum, an scientia approbationis sit distincta a scientia visionis, et simplicis intelligentiæ, an vero ad aliquam earum reducat, et ad quam. Ne autem in æquivoco laboremus nomine scientiæ approbationis, non solum intelligimus id quod nomen approbationis sonat, quæ solum significare videtur voluntatem respectu boni, solum enim bona approbantur a Deo, mala vero reprobandur, sed nomine approbationis intelligimus quamcumque voluntatem efficacem Dei, quæ respec-